

M-s. 201
2

294.

77

DE
MOMENTIS QVIBVSDAM HISTORICIS
ET CHRONOLOGICIS
AD DETERMINANDVM CHRISTI
DIEM NATALEM NECESSARIIS

PROGRAMMA
FERIIS NATALITIIS CHRISTI

M D C C L I V
IN ACADEMIA IVLIA CAROLINA
P. P.

HELMSTADII
LITERIS SCHNORRIANIS.

MOMENTIS QVIBSDAM HISTORICIS
ET CHRONOLOGICIS
AD DETERMINANDVM CHRISTI
ET NATALIS NEGOTIUM
PROGRAMMA
A FRIDRICH WYBICKIUS CHIRURGO
M. D. C. C. C. I.
IN ACADEMIA THEOLOGICA
P. D.

BERLIN
1801



ACADEMIAE IULIAE CAROLINAE III

PROVICE R E C T O R

C V M S E N A T V

CIVIBVS ACADEMICIS

S. P. D.



Ecce annuncio vobis gaudium magnum,
quod cuius genti est futurum, quia
natus est vobis hodie Salvator, qui est
Christus dominus: Vox fuit illa iu-
cunda, qua nuncius coelestis Bethle-
hemiticis pastoribus Servatoris Iesu
Christi nativitatem revelavit. (a) Iis-
dem verbis, CARISSIMI CIVES, Vos merito allo-
quimur, dum laudabili instituto Vobis indicimus di-
em, quo laetior atque acceptior generi humano nul-
lus unquam illuxit. Celebramus enim festum, quod
nati Christi, et ingentium inde promanantium bene-
ficiorum memoriae religiosa antiquitas consecravit.
Recolimus maxima devotione summum christianae
A 2 reli-

(a) Luc. 2, 10. II.

IV

religionis mysterium, quo unigenitum Dei filium propter nostram salutem verum hominem factum esse credimus. Quanto salutarius hoc divinum beneficium, quod a pernicie et exitio aeterno homines liberavit, eosque cum Deo reconciliavit, tanto certius est, huius festi magnitudinem atque praestantiam tantam esse, ut festos dies reliquos splendore suo antecellat. (b)

Extra dubium positum facile admittimus, christianam religionem esse salvam et incolumem, etiam si momenta historica atque chronologica externa ignorentur, quae circa annum, mensam et diem nativitatis Christi disputantur; praesertim, num feriatus hicce dies, qui inter Christianos huic anni tempestati est infixus, curate diei nativitatis Domini respondeat? Interim, cum illustre hoc argumentum, nec inutile, nec iniucundum, a solemnitatem huius feriae non erit alienum, si hac occasione *momenta quaedam historica et chronologica ex prima historia* in medium proferamus, ex quibus natalis Christi dies curatius determinari possit.

Nostrum iam non est, pro compendii scopo, scriptores de nativitatis Christi tempore insignes, qui magno numero recentioris aevi recensentur, et in praecipuis momentis chronologicis, vel in anno, vel men-

(b) Ioh. CHRYSOSTOMVS Homil. 31. in diem natalem sermone oper. T. V. appellat festum nativitatis, *festum festorum et metropolin.* Andr. WILKIVS in libro *de festis Christianorum* P. I. p. 8. hunc diem vocat, *dierum laetissimum et observatione dignissimum.* De diversis huius festi appellationibus videatur Matt. DRESSERVS in libro *de festis diebus* p. 233.

mente aut die, discrepant, enumerare. (c) Tantum enim in hoc argumento in historia diffidium, non solum nostris, sed ipsis primis iam cum seculis, (d) ut sententiis recensendis vix unum sufficiat volumen. Sufficiat autem simplicem et planam ex prima historia commemorare rei gestae metam, unde distincte definiatur dies, quo Salvator noster homo est natus.

Ad hunc historiae fundum dum accedimus, monendum est, Christianos temporibus primis non tam fuisse sollicitos de diebus factorum, ut externa momenta curarent, sed doctrinae Christi et Apostolorum acquieverunt, potius rebus gerendis quam scribendis intenti. (e) Attamen duae primis seculis innotuerunt sententiae primariae, quarum una, Christum

A 3

na-

- (c) Praestiterunt hoc Car. Ios. IMBONATUS in *Chronologia scripturae*, praemissa libro: *de adventu Messiae*, qui habetur in sine Bibliothecae rabbinico-hebraicae Rom. 1694. fol. Ioh. Christoph. WOLFFIUS, in *curis philologico-criticis* in Evang. Lucae p. 518. Ioh. Alb. FABRICIUS in *bibliographia antiquaria* Hamb. 1716. c. 7. Petr. ALLIX in libro: *diatriba de anno et mense natali Iesu-Christi* Lond. 1722. 8. Praesertim legi meretur, quod hac de re erudite dixit Celeber. Ioh. Nicol. FROBESIVS collega noster coniunctissimus, in *Programmate* eleganti a. 1746. *festo natalitatis Christi publicato*, cui titulus: *Religio mathematici, circa natalem dei invisibilis*; cuius solertia egregiam in hoc momento accendit lucem.
- (d) CLEMENS ALEXANDRINUS *Stromat.* lib. I. p. 340. edit. SYLBURGII, Colon. 1688. affirmat: illam aetatem in constituenda die Christi natali admodum fluctuasse, et 5. diversas allegat sententias.
- (e) Videatur Ioh. Iac. HÖTTINGERUS in *dissertationibus chronologicis*, quae cum praefat. Frid. Adol. LAMPII Traiecti. 1723. 8. prodierunt, *Dissert. IV. Sect. 4. p. 270.* Idem l. c. p. 292. dicit: *Christianorum temporibus illis proximiorum pia*

VI

natum esse die sexto Ianuarii, anno Augusti 42. Altera, die 25 Decembris anni 42 Augusti. (f) Prior illa, de die 6 Ianuar. omnium deprehenditur antiquissima, quae in Ecclesia orientali et Aegypto inclaruit a fine seculi secundi. (g) Posterior multo recentior Ecclesiae latinae, seculi fere quarti opinione. (h) In confesso quoque, quod primaeva illa orientalium, de die 6 Ian. ex certis rationibus Ecclesiae Romanae conducibilibus, a Romanis sit mutata in novam, puta die 25 Decemb. anni praecedentis. (i) Quamobrem prior sententia ex antiquitate plus habet roboris quam posterior recens. In subsidium nempe vocata longa traditio nomine Apostoli et primae inter Iudaeos christianae Ecclesiae, natum esse Christum die sexto Ianuarii. (k) Cuius iactatae traditionis fides religionem dei huic conciliavit sub seculi secundi finem.

Aft

simplicitas et simplex pietas, unice ea intendebat et exercebat, quae ad eorum scopum ferebant, alia omnia insuper habebant.

- (f) Recensentur apud Ant. Pagi in *Criticis in Annales Baronii* T. I. p. 59. c. l. et p. 495. c. l. conf. Ioh. Andr. Schmidius, theologus de hac academia optime meritus, in *historia seclorum* Helmst. 1722. p. 53.
- (g) Ita affirmat EPIPHANIVS lib. II. adversus haereticos, Oper. Tom. I. edid. Henr. VALESI Colon. 1682. p. 446.
- (h) apud Henr. NORISIVM in *Cenotaphiis Pisanis* diss. 2. p. 131. et Ios. Iust. SCALIGERVM *Canon. Isagog.* lib. 3. p. 299. edit. Lugd. 1666.
- (i) Cuius mutationis causam affert HOTTINGERVS lib. cit. p. 283. *ne scilicet christiani ad solis invicti natalem, illo die a paganis celebrandum, traherentur, sed ea occasione solem iustitiae, Christum, celebrarent.*
- (k) Vide CLEMENTEM ALEXANDRINVM l. c.

Ast vel imperitia vel negligentia rerum iudaicarum videretur conditores feriae seduxisse. Nec enim de die 6 Ianuarii potuit vel ab Apostolo vel primis Christianis ex iudaeis proficisci traditio, cum calendarium illud Iulianum, cuius dies sextus determinatur mense Ianuario, nullatenus valeret inter Iudaeos, qui proprio suo gauderent calendario, in quo menses et dies alii, ordo omnium alius, nomina alia, quibus etiam in hunc diem utuntur. Inanis proinde de Ianuarii sexto die traditio nomine primorum ex Iudaeis Christianorum. Orta haec narratio inter gentes, quae Iuliano calendario uterentur. Nec sine furo ad Apostolos ex Iudaeis natos, primosque ex Iudaeorum gente Christianos refertur.

Quod si vero erroris fundum detegere, et ad verum Christi natalem parare viam velimus, non iniuste traditioni apostolicae vel et aliorum primorum ex iudaeis Christianorum dabitur locus, sensu autem genuino, puta natum esse Christum die sexto primi mensis. Quae chronologica formula Ecclesiae iudaicae congrua, quae menses nominibus iudaicis insigniebat ac numerabat. Atqui mensis primus illis fuit *Nisan*, quod omni caret dubio. Detur itaque, Iacobum aut alium Apostolum, cum aliis ex sinu iudaeorum primis Christianis, pronunciaffe, Christum die sexto primi mensis esse natum, non intellexisse putandi Ianuarium Iulianum, sed Nisan iudaicum. Siquidem non potuit Apostolorum aliquis alio uti ore et stilo, neque Iudaei facti Christiani, in Iudaea, inter Iudaeos, aliter loqui et intelligere sustinuerunt. (1)

Haec

(1) Ios. Iust. SCALIGER *de emendatione temporum* lib. 2. p. 105.

Haec diei sexti primi mensis traditio continuari potuit ad seculi secundi finem, sensu ubique iudaico, pro Apostolorum ore. Quod si interea, pro traditionis migratione, haec fama de die sexto mensis primi inter gentes et Ecclesias christianas sub Romano imperio, per alias Europae provincias, vel et vicinas, fuit accepta aut explicata de die sexto primi mensis Iuliani Romani, id per errorem factum, contra iudaicae rei sententiam et usum.

Praeterea dandum prudentiae primorum in Ecclesiis christianis Antistitum, qui, quamvis nossent et intelligerent traditionis primaevae mentem et sententiam, de primi mensis die sexto, tamen in feria natiuitatis Christi anniversaria definienda, festi celebritatem in diem analogum, puta sextum primi mensis Iuliani, transferrent. Quae translatio feriae, iudaico stilo molliter ad romanum accommodato, uti apta, ita et in aliis feriis perquam frequens et usitata. (m)

Porro videtur probabile, mentionem primi mensis Nisan visam gentibus conversis molestant, aut propter odium in Iudaeos exosam. Deinde dies ille sextus mensis Nisan, pro iudaici calendarii indole et supputationis inconstantia, dum a noviluniis initium mensium numerarent, nullo anno potuisset esse fixus

et

dicat: qui per omnia Apostolos hac in re imitarentur, et per multi ex illis ex iudaismo ad Christianismum transissent; non obscurum est, cyculum eorum fuisse mere iudaicum

(m) Sic v. c. ex EPIPHANIO adversus Haeres. lib. 2. oper. T. I. p. 420. 421. videmus: Paschatis festum, in antiqua ecclesia, primitus 8. Calend. Aprilis celebratum, quia ex Actis Pilati, ut appellabant, didicerant, eodem die passum esse Christum, postmodum reiectum esse ad diem dominicum.

IK

et constans; cum hic dies, ut ceteri, singulis fere annis variarent, praecipue si in anno intercalari integer mensis *Veadar* ante Nisan infereretur. Quae intercalatio totum mensem Nisan, adeoque et diem eius sextum, tempore et loco movit, ut ferius multo inciderent. Quae inconstantia et quaedam fluctuatio gentibus Europaeis et vicinis in feriatis diebus valde molesta, si non inimica. Quamobrem prudentia et solertia antistitibus translationem illam appellationis et accommodationem ad constans calendarium Iulianum suasisse videbitur, ut pro die sexto primi mensis iudaici Nisan surrogarent diem sextum primi mensis Ianuarii Romani.

Haec sagacitas, haud vituperanda sed maximo-
pere laudanda, porro effecit, ut pro obviis seculorum
fatis nativitatis Christi festum transferretur iterum in
alium diem puta 25 Decembris. Non quod illo die no-
viter definirent natum esse Christum, sed quod memo-
riam nativitatis eodem commodius celebrari existima-
rent. (n) Hoc ius Ecclesiae, et hic usus perennis et le-
gitimus, servare memoriam, quocumque demum die,
ex statuto et consensu publico, etiamsi fati veteris aliud
extiterit tempus.

Quod autem traditio illa vetus, de nativitate Christi
die sexto primi mensis, sensu iudaico, quam adduximus,
omnium sit probabilissima, nec veritati contradicat, ex
eo clarum, quod universae circumstantiae, tam in Evan-
gelistarum historia, quam in factorum nexu, cum ea

B

CU-

(n) ita pronunciat ex *Veohietto* Petrus ALLIX in libro allegato
p. 9.

X

curate conspirent. Mensis Nisan, pro calculo iudaico, erat initium veris, ubi pastores gregum nocte in agris pro orientis climate divertere poterant. Atqui pastores in agris extitisse illo tempore, cum nativitas Christi illis nunciaretur, sacri scriptores, testes omni exceptione maiores, docent. (o) Porro natum Christum illa anni tempestate sacrae literae probant, qua Iudaei propter censum per totam Palaestinam iter facere cogebantur. (p) Hoc vero non hyberno sed verno tempore peractum esse vero videtur simillimum. Accedit quod potior primorum Patrum fuerit sententia, Christum esse natum tempore verno. (q)

Uterius hic praeterire nefas, quod non solum Christianorum (r) sed etiam Iudaeorum (s) ipsorummet

(o) Luc. 2, 4.

(p) Luc. 2, 8.

(q) Vid. CLEMENS ALEXANDRINVS Stomat: lib. I. p. 340. Conf. ALLIX l. c. qui p. II. Scaligerum refutare, et nulla alia anni tempestate quam vere natum esse Christum probare conatur.

(r) Ita sentit EUSEBIUS Hist. Eccles. lib. I. p. 17. ed. Reading. Cantabr. 1720. fol. Item EPIPHANIVS qui oper. T. I. adversus haereses de incarnatione domini p. 48. diferte dicit: *anno Augusti 42. Bethlehemi in Iudaea Salvator nascitur.* Idem repetit. lib. II. p. 444. 450. et Tom. II. p. 135.

(s) Haec sunt verba in libro cui titulus צמח דוד P. II. p. יד. c. 2. Frf. 1692. 4.

ישוע נצרי נולד בבית לחם יהודה פרסה ומחצה
מירושלים בשנת ג' אלפים ות' שסא ליצירת והיא
שנת מ"ב לקיסר אוגוטי. *Iesus Nazarenus natus est in
Bethlehem Iuda sesqui milliari ab Hierosolymis, anno ter mille-
simo septingentesimo sexagesimo primo a creatione, qui est an-
nus 42. Caesaris Augusti.*

met chronologi diferte profiteantur, Iefum natum ef-
fe anno Augufti Caefaris 42. Quae univerfa historiae
congrua. Iudaeis, qui annos a creatione mundi fe-
culo quarto eunto fupputare exemplo Christianorum
didicerunt, annus nativitate Iefu eft 3761. Quibus fi,
pro more, addantur 240 anni, emergent 4001. At-
qui Iudaeis annus Augufti caefaris 42 eft annus mun-
di 3761. Christianorum autem potior fententia eft,
Chriftum efle natum anno mundi 4000. Hic annus
vero comprehendit partem anni Augufti 41 puta a
Ianuario ufque ad diem 15 Martii, qui fuit natalis
Augufti 42. Qui annus Augufti 42 die 15 Martii in-
choatus, incidit illo anno in primum mensem iudai-
cum Nifan, eiusque diem quartum. Ex qua fuppu-
tatione iudaica recte pronuntiatur Chriftum natum
efle anno mundi 4001. et anno Augufti 42. cum anni
Iudaeorum incipiant a Nifan, annus Augufti 42. fimi-
liter inceperit die 4 Nifan, qui eft 15 Martii. Quo-
modo cum initio mensis Nifan, initium anni a crea-
tione mundi 4001. et initium anni Augufti 42. Sic
vere recteque dicitur ore Iudaeorum et ftilo calenda-
rii iudaici, Iefum efle natum anno a condito orbe
4001 et 42 Augufti. Sed etiam fimul iufte et bene
pronunciatur ore Christianorum, Chriftus natus anno
mundi 4000. ftilo calendarii Iuliani Romani, a Ianua-
rio, dum comprehendit romanus hic annus mensem
Nifan a 12 Martii, et a 15 Martii annum 42 Augufti.
Quem diverfum appellandi ftilum genuit diverfitas
utriusque calendarii iudaici et romani, apta interim
conspiratione veritatis. Quomodo perinde, five
quis dicat, Chriftum natum efle anno mundi 4000.

B 2

five

five 4001. ore vel christiano vel iudaico, re eadem, quia Nisan anni iudaici 4001 incidit in annum 4000 Iulianum Romanum.

Neque obstat, quod Iudaei recentiores annos ab orbo condito inchoent a Tisri, nostro circiter Septembri, et non a Nisa aut nostro Martio. Sufficit enim primum, eundem hunc annum, quem Christiani calculo Romano dicunt 4000. conditi orbis, a Ianuario, stilo romano, esse ipsummet illum annum, quem a mense Tisri nominant et numerant Iudaei annum creationis 4001. Terminus inchoandi et numerandi in eodem anno, in utraque gente, tantum est diversus, res autem omnis in eundem redit annum. Posthaec, calculus iudaicus numerandi annos creationis a mense Tisri, recens est, seculo demum quarto a Iudaeis post Talmud absolutum inventus. (t) Antea enim methodus chronologica inter Iudaeos ignoravit numerum supputationis a condito orbe. (u) Prius, sub regibus, epochae fuerunt regum, a captivitate babylonica epocha exitus ex Aegypto vel reditus ex Babylonia. Neque primi Christiani tribus seculis inaudiverunt epocham orbis conditi, quae ferius inter Christianos, primae Ecclesiae doctores, est subnata, Eusebio inprimis allaborante. Ex recen-

(t) Vide Iul. BARTOLOCCIVM in *Bibliotheca magna Rabbinica* T. II. p. 432. seq. et Ios. SCALIGERVM de emendatione temporum lib. V. p. 239. ed. Francof. 1593. et eundem *Scaligerum* in canon. Hagog. lib. III. in fine ad Eusebii thesaurum temporum p. 216.

(u) De quo in Tractatu Talmudico *Rosch Hasschana* c. I. et apud BARTOLOCCIVM l. c. p. 436.

centiori proinde illo ordine inter Iudaeos, computandi annos orbis conditi a Tisri vel autumno, non congruit colligere initium supputationis in veteri Ecclesia iudaica tempore Christi, cum Iudaei adhuc ignorarent methodum chronologicam a mundo condito, quam postmodum a Christianis aemulando didicerunt.

Seculo Christi in civilibus usitatus inter Iudaeos calculus Contractuum, a primo Seleuci Nicatoris Syriae regis anno. Hic annorum Syro-Macedonum annus, שנת א' i. e. *Contractuum* inter Iudaeos vocatus, (w) initium habuit ab autumno, et quidem die 24 Septembris. Qui annus Contractuum tempore Christi nati erat 313. In quem Iudaicum Contractuum annum incidit mense Nisan die sexto natalis Christi, uti prius die quarto initium fuerat anni 42 Augusti. Cum autem Contractuum annus initium haberet, ut apud Graecos ita et Iudaeos ab autumno, Iudaei in nova supputatione pro anno Contractuum autumno, furrogarunt annum creationis pariter autumno; licet rationes huius analogiae essent inanes. Ex quo fonte hodiernum inter Iudaeos valent anni contractuum veteres et conditi orbis recentes.

Ex his vero haecenus allatis clarum est, curate inter se conspirare traditionem illam vetustam de die nativitatis Christi sexto mensis primi, et supputationem annorum Augusti, ac orbis conditi, ut et contractuum, consensu inter se arctissimo.

B 3

Ad

(w) Vide Ios. SCALIGERVM *de emendatione temporum* lib. V. p. 218.

Ad hanc concordiam accedit denique argumētum aliud, nempe mors Herodis. Iudaei, quibus in hoc historico et chronologico argumento fidem denegare non possumus, fatentur, obiisse Herodem die septimo mensis Cislev, (x) qui nostro respondet circiter Novembri, et cuius dies 7 pro chronologiae calculo incidit in diem nonum Novembris calendarii Iuliani. Quae Iudaeorum confessio concordat cum termino anni mortis Herodis, qui unanimi fere Christianorum historicorum ore dicitur annus Augusti 42, in quem incidunt asperrimae lites inter Herodem et filios de regni haereditate, in curia Romana coram Augusto Caesare versatae, et in suppliciis filiorum per ipsum Herodem proxime ante huius obitum finitae. Idem probatur irrefragabili Evangelistarum autoritate, ex quorum scriptis colligimus, Christum esse natum haud longe ante obitum Herodis, plusculis mensibus intercedentibus.

Quae omnia cum suavi harmonia inter se conspirent, sibi que non contradicant, omnino concludimus, ex hisce momentis historicis ac chronologicis, viam posse parari, ad diem, mensē et annum nati-

(x) De morte Herodis ita habetur in *Megilla Taanit*, (peculiari libro, non confundendo cum tractatu Talmudico Taanit) *Cap. IX. fol. 7 c. I.* ed. Amstelod. שבת ביה יום טוב בשבעה ביה יום טוב שמת הרודוס שונה את החכמים ה' *Septimo huius mensis Cislev die, dies est laetitiae, dies quo mortuus Herodes, qui odio persecutus est sapientes etc.* Hunc ex *Megilla Taanit* locum appellat *Sal. van TILL* in *diff. de anno et die nativitatē Christi, locum aureum, quo dies emortalis Herodis constituitur, sine quo rei tam cognitu necessariae determinatio non speranda.*

nativitatis Christi curatius determinandum. Nec ergo a vero aberrare videbimur, si statuamus: *natum esse Servatorem nostrum Iesum Christum, anno ab orbe condito 4000, cuius initium mensis est Ianuarius, qui erat annus Augusti imperatoris 42, cuius terminus inchoatur a die 15 Martii, in mense Iudaico primo Nisan, cuius novilunium, adeoque principium, incidit in diem 12 Martii Iuliani, et quidem die eius sexto sive 17 Martii, qui illo anno erat sabbatum.*

Ulterius quidem hocce chronologicum momentum ex harmonia annorum Urbis conditae atque Olympiadum, ut et aliis argumentis, confirmare et illustrare possemus; sed quid nunc opus est ulteriori meditatione historica, cum considerationi luculentorum beneficiorum per Christi nativitatem nobis gratiose alatorum praesentes dies sint destinati. Horum memoria nos excitat, ut non solum tota mente devotas Deo, pro misso in carnem Servatore nostro agamus gratias, sed etiam voluntatem et mandatum sanctissimi huius Servatoris lubentes sequamur, abiectionis operibus tenebrarum in luce ambulantes, ut etiam nos beneficiorum per Christum oblatores fiamus participes.


Agite ergo, O CIVES CARISSIMI! ita hos dies et omnes vitae vestrae transfigite, ut mores vestros ad exemplum filii Dei consummatissimum componere nunquam intermittatis. Sequimini pacem et sobrietatem, et haec Apostoli verba cordibus vestris inscribite: (z) *Illuxit gratia Dei salutifera omnibus*

(z) Ep. ad Tit. c. II. v. 11. 12. 13. 14.

XVI

bus hominibus, erudiens nos, ut abnegata impietate et mundanis cupiditatibus, temperanter et iuste ac pie vivamus in praesenti seculo. Expectantes beatam illam spem, et illustrem adventum gloriae magnae Dei et Servatoris nostri Iesu Christi. Qui dedit semet ipsum pro nobis, ut redimeret nos ab omni iniquitate, et purificaret sibi populum peculiarem, accensum studio bonorum operum.

P. P. in academia Iulia Carolina
A. R. S. MDCCLIV. d. XXIV. Decembr.



AB: 153990

ULB Halle 3
004 327 640





sb.

v. 18

R







B.I.G.

Farbkarte #13

17

DE
 QVIBVSDAM HISTORICIS
 CHRONOLOGICIS
 MINANDVM CHRISTI
 ATALEM NECESSARIIS
 PROGRAMMA
 NATALITIIS CHRISTI
 M D C C L I V
 ADEMIA IVLIA CAROLINA
 P. P.

HELMSTADII
 S SCHNORRIANIS.

